



V, 23.

MEMORIÆ SUPREMÆ  
 VIRI ADMODVM REVERENDI ET CELEBRATISSIMI  
**DN. JOHANNIS DVRRII**  
 S. THEOLOGIÆ DOCTORIS  
 SERENISSIMO PRINCIPI ANHALTINO  
 IN AVLA SERVESTANA  
 A CONCIONIBVS AVLICIS  
 CONSILIIS ECCLESIASTICIS  
 ET CONFESSONIBVS SACRIS  
 IN ÆDE BARTHOLOMÆANA PASTORIS  
 DIOCESEOSQ. SERVESTANÆ SUPERINTENDENTIS VIGILANTISSIMI  
 AD D. VI. DECEMBR. INTRA III. ET IV. POMER.  
**ANNI CHRISTIANI M DC LXXXIX.**  
 IN DOMINO PLACIDE DEFVNCTI.

---

**S E R V E S T A E**  
 TYPIS JOH. ERN. BEZELII. I. G. A. TYPOGR.

**EHEV FERALES DIEI DOMINICÆ FERIAS!**

Imperat acerba Libitina funebre sacrum,  
Sacro Eruditorum ordini funestum & acerbissimum,  
ut Theologo Veterano, ex ærumnosa mortalitate pie evocato,  
justa faciant pii mortales,  
ad vitæ exitum juste vicissim vocandi.

**DECESST IN MEDIO**

Vir admodum Reverendus, autoritate, doctrina & rerum  
usu celebratissimus,

**DN. JOHANNES DVRRIVS S. THEOL: DOCTOR,**

*Serenissimi Principis ac Domini, Domini  
CAROLI WILHELMII, PRINCIPIS ANHALTINI,  
DVCIS SAXONIAE, ANGRIÆ ET WESTPHALIAE,  
COMITIS ASCANIÆ, DOMINI SERVESTÆ, BERENBURGI,  
JEVERÆ ET CNIPHVSII &c. &c.*

*Domini nostri Clementissimi,  
Consiliarius Ecclesiasticus, Concionator Aulicus Primarius  
& Confessionarius, Ædis Bartholomæanæ Pastor,  
nec non diœceseos Servestanæ Superintendens modo Vigilantissimus.*

NATALES ILLI PRIMOS indulxit

Illa Principe Electore, populo, opibus & operibus suis inclyta DRESDA

A. O. R. M DC XIII. d. xxx. Augus. intra 7. & 8. pomerid.

quibus in S. regenerationis lavacro paulo post ALTERI accesserunt,  
ut lucis utriusque usuram plenis manibus acciperet.

**PATERNA FAMILIA DVRIANA**

*in patria urbe*

& cum primis in Germania ocello Norimberga,  
ab aliquod seculis secunda fama eminuit,  
ob spectatam artis in aurificina peritiam,  
& integrum in re integerrimè facienda fidem,  
haut facile ulli secunda.

**MATERNA FRANKIANA,**

Monetarij Electoralis Saxonici officiis clara,  
singularis domesticæ pietatis exempla dedit honestissima.

Provida parentum cura incorruptaq; disciplina,

tenerioribus annis,  
pietatis & virtutis sensus sensim instillabatur,  
cautumque fuit accurate,

*ne cerea ætas*

ad irritamenta inania inaniter deflecteret,  
vel in discrimen inquinatum salutem inimice adduceret.

In

In obeundo hoc tempore,  
eximia indolis speciem decoram decore offerens,  
toga pura eximie adolevit,  
& vix ephebus, atq; etiam patre jam orbus,  
nihilosecius piæ Matris pia solicitudine,  
ad Electorale Misnéum provehitur,  
Amplissimique Senatus Dresdensis munificentia,  
per integrum sexennium ibidem liberaliter habitus,  
Ejusdem favorem, habili industria, solerter demeruit.

Inde cum elogio navatae operæ dimissus,  
felici omne in Celeberr. Wittebergensium Academiam concessit,  
nactus in Philologia & Philosophia Doctores,  
eruditionis & meritorum fama toto orbe literario notissimos,  
*Augustum Buchnerum, Ericum Ostermannum, Martinum Trostium,*  
*Jacobum Martini, Schmidum, Schärfum, Sperlingum, Wendelerum,*  
quibus assidue, & quod nec *avocat*,  
nec deses, nec otiosus, nec luxuriosus esse voluit,  
constanter adhæsit.

Defunctus deinceps melioris profectus publicis privatisque periculis,  
summam in Philosophia lauream consequitur anno seculi XXXVI.  
eoque *Begbie* magis adhuc excitatus,  
scholas ipse cœpit habere,  
tanta animi & virium contentionе,  
ut tum prælegendo, tum disputando, in singulos penedies,  
exquisitas operas, egregio juventutis bono, diligenter pertexeret.  
At enim quod prætextatus adhuc Theologiæ se consecraverat,  
usus est eodem Lycéo Professoribus Clarissimis,  
*Wellerio, Röbero, Lysero & Hülsemanno*, magnis suis Theologis,  
fecitque progressus laudatissimos,  
ut consensu omnium,  
proximo quadriennio, in ordinem Adjunctorum solenniter cooptaretur.

Commendatus postmodum A. M. DC XLII,  
SERENISSIMO PRINCIPI

DIVO JOHANNI, PRINCIPI ANHALTINO &c. &c. GLOR. MEM.

Dominica III. Adventus, quæ hodie exequialis est,  
coram Aula Illustrissima, primam ex suggestu Orationem sacram habuit,  
gratiamque protinus invenit, qui dignus judicaretur,  
ut vocatione & mandato Principali inauguretur Ecclesiastes Aulicus.  
Biennio nondum elapsō constitutus est Ædis ad D. Barthol. Pastor.  
Mox & alteris bisbinis annis Diœceseos Servestanæ Superintendens,  
servatis ubique dignitatis & munerum Ecclesiasticorum gradibus,  
quibus gressus properos & prosperos, ad ædificationem Ecclesiæ  
propritim verteret.

His functionibus gravissimis exercitus & confirmatus,  
A. M. DC LVIII. supremis in Theologia honoribus  
a perquam Rever. Facult. Theol. Wittebergens. rite decoratur,  
multorumq; meritorum multam & amplissimam remunerationē assequitur.  
(a) 2 Acce-

Accepit in matrimonium, singulari providentia Dei,  
SABINAM BERNSTEINIAM,  
Georgii Bernsteinii Pastoris Engeldorfiani prope Lipsiam filiam,  
Nuptiis Servestæ A. M DC XLV. d. 26. Aug. cum ea celebratis:  
Sed quod sobole fœcundum non fuit,  
Repensum est concordi & favissima tranquillitate,  
Qua consortes unanimes in annum XLII. conjunctissime vixerunt.  
Cæteris vitaæ negotiis,  
Cum vigiles curas; fidemq; bonam, curiose & jugiter interponeret,  
Vigentis animi, fixæque doctrinæ & operæ testimonia & monimenta  
Comparavit sibi & reliquit, ad memoriam insignia,  
Quæ lapsu temporum haut quaquam intercedent.

Recepta S.P. in Protestantium Ecclesiis Augustanæ Confessionis professionem  
Magno Zelo propugnavit & defendit,  
Perosus sententias analogiæ suæ fidei adversantes.  
Nihil remisit de necessariorum officiis, administer sacrorum indefessus,  
Validus in adhortationibus, in reprehensionibus cordatus,  
Rebus afflictis de onerosæ sortis allevamento confidens,  
Probrosis turpitudinibus & vitiosæ vitaæ infensus & inimicissimus.

Firmum corporis habitum infirmitate valetudinis vix unquam tentatum,  
Frugi vietu sustinuit validissime,  
Et qui laboribus frangi non posse videbatur,  
Fractus demum est fatali naturæ fatiscentis ædævæ,  
Quam senectæ vis inevitabilis, uno præsertim anno, quo viduus fuit,  
Ex defectione succi naturalis & langvore langvide induxit.  
Animadvertisita, restitutioni diffidendum,  
Ad beatam e vita migrationem animum serio convertit,  
Acceptoq; immortalitatis & æternæ vitaæ pignore,  
Vasa tempestive collegit,  
Dispositis ad voluntatem suam, composita mente, rebus suis,  
Ne hora decretoria rueret,  
Et se aut distinguentem aut imparatum serius ocyus oppimeret.

Exin continuo anhelans beatum discessum,  
Quem a vita & mortis arbitro, O. M. Deo sibi integro optavit,  
Inter preces & suspiria Collegarum pastorum adstantium,  
Tandem integris sensibus placide & leniter est consecutus,  
Die VI. DECEMBER. circiter 4. pomer. ætatis anno LXXVII.  
Exuviis in tumulo, quem sibi Vivens struxit,  
Christiano ritu condendis prima post m. hodiernæ diei constituta est.  
Hujusce igitur funeris exsequias,  
VOS ILLVSTRIS GYMNASII ANHALTINI STVDIOSI CIVES,  
Ut frequenti comitatu prosequamini,  
Et B. DEFVNCTO D. SVPERINTENDENTI ultimum humanitatis officium  
decenter exhibeatis,  
Per Vos probe memineritis.

T. C. R.

P.P. SERVESTÆ DOM. III. ADVENTVS DNI. A. C. M DC LXXXIX.

La 6938

40

ULB Halle  
004 832 175

3



Sh

VD17

n. K





